



*Fur nim 2990.*

DE  
DERECTARIIS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

IOSIA LVDOVICO ERNESTO  
PÜTTMANNŌ

I. V. D. INSTIT. PROF. ORD. ET COLLEG. ICTOR. ASSESSORE

A. D. XXX. NOVEMBER. MDCCLXXXIV

H. L. Q. C

DISPVTABIT

IOANNES GOTTL. KIRSCHBAVM

VITEBERGENSIS

---

LIPSIAE

EX OFFICINA BRESCHERIA

DER ERSTE THEIL

ALTES RECHENBUCH

DES

JOHANNES KEESCHNIGK

IN

LEIPZIG

AN DER UNIVERSITÄT

1727

DRUCKT

JOHANNES KEESCHNIGK

LEIPZIG

1727

DE  
DERECTARIIS.

---

**D**erectarii qui sint et unde dicantur, haud profecto in proclivi est dicere. Tanta parca enim tamque obscura veteres apud scriptores eorum est mentio, ut coniectura magis ea in re utendum, quam pro certo quid adfirmandum esse videatur. Recentiores autem interpretes super hac quaestione tantopere inter se dissentiunt, ut hic certe cum *SENECA Ep. 102.* dicendum sit: *Putas tu, posse sententiam unam omnium esse? Non est unius una.* Faciamus tamen periculum, an, si non verum, id saltem, quod vero quam simillimum sit, eruere possimus. Ut autem ordine quodam procedat oratio, primum quidem veterum, qui huc pertinent, locos adscribere, mox varias interpretum proponere coniecturas, tandemque, nobis quid videatur, subii- cere iuuabit. a)

Ac primum quidem derectariorum (ita enim, non, ut vulgo scribi solet, directariorum, Florentiae legitur, itaque scribendum est) in iuris nostri corpore non nisi bis, in *l. scilicet 7. D. de extr. crim.* et *l. 1. §. 1. sq. D. de effract. et expil.* mentionem fieri videmus. Priore loco *VLPIANUS* ait: *Saccularii, qui vetitas in sacculo artes exercentes partem subducunt, partem subtrahunt, item, qui derectarii appellantur, hoc est, hi, qui in aliena coenacula se dirigunt furandi animo, plus, quam fures, puniendi sunt, idcircoque aut ad tempus in opus dantur publicum, aut fustibus castigantur et dimittuntur, aut ad tempus relegantur, posteriore autem idem: Expilatores, qui sunt atrociores fures, (hoc enim est expilatores) in opus publicum, vel perpetuum vel temporarium, dari solent, honestiores autem ordine ad tempus moueri, vel fines patriae iuberi excedere: quibus nulla specialis poena rescriptis Principalibus imposita est: idcirco causa cognita liberum erit arbitrium statuendi ei, qui cognoscit. Simili modo et saccularii et derectarii erunt puniendi, item effractores. Sed enim *D. Marcus* effractorem equitem Romanum, qui effracto perforatoque pariete pecuniam abstulerat, quinquennio abstinere iussit Provincia Africa, unde erat, et vrbe, et Italia. Oportebit autem acque et in effractores, et in ceteros superscriptos causa cognita statui, prout admissum suggerit, dummodo ne*

A 2

quis

a) De sacculariis et derectariis scripsit *S. STRYK.* Franc. ad *V.* 1667. ita tamen, ut nequaquam omnia nobis praeripuisse videatur. Derectariorum meminit etiam *HEINECCIUS* in *Pandect. P. VII. §. 85. et 129.* sed ita, ut operae pretium haud fecerit.

quis in plebeio operis publici poenam, vel in honestiore relegationis excedat. Porro dereclariorum meminit PAULUS S. R. V. 4. 8. Mixto iure iniuriarum actio ex lege Cornelia constituitur, quoties quis pulsatur, vel cuius domus introitur ab his, qui vulgo dereclarii appellantur, in quos extra ordinem animadvertitur, ita ut prius ingruentis consilium pro modo commentae fraudis poena vindicetur exsili, aut metalli, aut operis publici, nec non vetus glossarium b) his verbis: Dereclarii, εἰσπηδησιῶνες, itemque: Dereclarius, Δυρεπανοικτης, ἐπισπηδητής, κτεάρατος, ὁ εἰς τὰς ἀλλοτρίας ἐνεκεν τοῦ κλέψαι εἰσερχόμενος οἰκίᾳ; (ianuarum effractor, qui alienas aedes furandi causa ingreditur) et iterum: εἰσπηδησιῶνες, dereclarii, Lib. de Off. Proconsul. vbi loco dereclarii, quod falso ibi legitur, dereclarii legendum esse, ex verbis adiectis: Lib. de Off. Proconsul. manifestum est, quippe quibus indicantur VLPIANI lib. de off. proconsul. vnde l. 7. D. de extr. crim. et l. 1. D. de effract. et expil. supra memoratae a Pandectarum compilatoribus desumptae, iisdemque insertae fuerunt. Tandem dereclariorum mentionem etiam fecisse dicitur BASILIUS M. in Epist. his verbis: ὅτι πάντα ληστῶν καὶ διεκταρίων πεπλήρωται τὰ ἴδ' ὁδῶν, quia viae omnes latronibus et dereclariis plenae erant, quem tamen locum, ab ANDR. DACERIO in notis ad FESTUM de V. S. p. 121. c) prolatum, ego adhuc, omni opera frustra consumpta, inuenire haud potui.

En! quidquid omni ex antiquitate de dereclariis nobis innotuit; nunc autem, quid recentiores sentiant interpretes, accipe. Ac primus quidem in scenam prodeat CLAUD. SALMASIUS in notis ad Vopisci Prob. cap. 19. Inde, (a dirigere) inquiring, direclarii dicti, qui in alienas aedes dirigebant furandi gratia. Glossae: dereclarius, ὁ εἰς τὰς ἀλλοτρίας ἐνεκεν τοῦ κλέψαι εἰσερχόμενος οἰκίᾳ, quam interpretationem habet ab Vlpiano, qui direclarios ita exponebat, hoc est hos, qui in aliena coenacula se dirigunt furandi animo, l. 7. D. de extr. crim. Dicere etiam potuisset Ictus: qui in aliena coenacula dirigunt. Nam dirigere absolutum pro ire et penetrare se. In iisdem Glossis dereclarii exponuntur εἰσπηδησιῶνες, et εἰσπηδησιῶναι et Δυρεπανοικται, dereclarii, εἰσπηδησιῶνες. — Dereclarii autem dicuntur non direclarii, tam in illis Glossis, quam in Pandectis Florentinis. Sic derigere pro dirigere in iisdem glossis scriptum: derigit, ἀνευθύνει. Idem autem in Exerc. Plinian. Tom. II. p. 1191. ait: Dirigere proprie est διχοτομεῖν, in duas partes rectas et aequales scindere. Plautus: Clypeatus elephantum vbi machaera dirigit. Titinnius

b) Vid. CYRILLI, PHILOXENI aliorumque veterum glossaria latino-graeca et graeco-latina, a CAR. LABBAEO collecta et in duplic. alphabetic. ord. redacta; praeterea veteres glossas verbor. iuris, quae passim in Basilicis reperiuntur, Lut. Par. 1679.

c) Verba DACERII ad illa FESTI: Dirigere apud Plautum inuenitur pro discedere, sunt: Pro discedere lege discidere, ut in veteri codice. Discidere enim, ut abscidere, concidere. Locus Plauti est Curcul. act. 3. Clypeatus elephantum vbi machaera dirigit. Vbi male hodie difficit. Male etiam apud Nonium legitur diligit pro dirigit. Sic Titinnius: Pernam totam dirigit, i. e. in duas partes scindit. Inde direclarii, qui fores effringunt, quos cum latronibus iungit Basil. in Epist. rel.

tinnius apud Nonium: pernam totam dirigit. Male apud Nonium diligo pro dirigo. Festi abbreviator: dirigere apud Plautum inuenitur pro discindere. Sic ibi scribendum. Nam vetus liber, qui penes me est, habet discidere. Editur discedere. Quidquid contra dicant, directarius inde appellatus, quia fores effringit ac dirigit. Basilus in Epistola quadam vocat διρεκταρίους et cum latronibus iungit: ὅτι πάντα ληστῶν καὶ διρεκταρίων πεπλήρωται τὰ τῆς ὁδοῦ; nec non in not. ad Plauti Capt. III. 4. 103. Quid sit dierectum, quaeritur. Frustra quaeritur in latino solo huius vocis origo et significatio, quae latina non est, sed plane graeca. Nam directum dixere pro diarectum, hoc est διαζήκτος. Inde etiam dicti dierectarii portarum effractores, fures et θυρεπανόκτας, ut vocantur in glossis, quod fores διαζήκτους facerent, vel quia graecis διαζήκτας, id est, effractores, qui latinis inde dicti sunt dierectarii pro diarectarii. — Dierectarii igitur sunt διαζήκται siue effractores. Dierectus, διαζήκτος. Pro dierectarii perperam in glossis scribuntur derectarii et directarii. A dierecto venire illam vocem, vel Glossae testantur, quae etiam καταράτους interpretantur. Derectarius θυρεπανόκτης, ἐπεισηδατής, καταράτος. Nam saepe pro κατάρατις usurpatur haec vox, ab i dierecte εἰς κατάραν, vel κατάρατος, utpote disrumpi dignus.

SALMASIO succedat G. H. VRSINUS in Obs. philolog. d) cap. VII. p. 94. Forte directarius, a quo deflexum esse alterum illud derectarius, nullus dubito, erit a dirigendo, non, qua notat introire, introgredi, ubi, cum absolute ponitur, subaudiendus est semper accusatiuus se, uti notat Salmasius, sed qua pro discindere, dissecare sumitur, significatione nec ipsi Salmasio ignota, quemadmodum dirigere gallinam Nigidius dixit, dirigere elephantum machaera Plautus Curc. Act. III. quem locum respexit Festus, ubi annotat, Plautum hac voce sic uti. Sane congruit hoc etymon vocis directarii cum expositione illa vocis huius in glossis, θυρεπανόκται, ἐπεισηδαί, ut directarii proprie sint illi, qui alienas fores et arcas dirigunt, discidunt, effringunt, ferramentis, calcibus, aut violentis modis aliis utentes, in quos et propterea extra ordinem, tanquam non fures modo, sed violentos plane inuasores, animaduerti scribit Paulus. Haud multum abluclit ADR. TURNEBUS Aduersar. XVIII. 26. Directarius, θυρεπανόκτης, ἐπεισηδατής. Est igitur fur, qui fores aperit, quem et quidam apertularium vocant et effractarium; aequae ac CANGIUS in Glossar. sub v. derectarius: Derectarius, qui fores effringit furandi animo — Derectarios quasi directarios appellari censent viri docti eiusmodi fures, voce ducta a dirigere, quod est effringere, uti notat Festus. Apud Basilium in Epist. διρεκταρίοι furibus iunguntur. e)

A 3

Ne

d) Quae prod. Ratisponae 1679. 8.

e) Varia quidem de verbo directus profert CARPENTIER in Glossar. T. II. p. 110. nihil autem de verbo derectarius; nihil etiam JO. MEURSIUS in Glossario graeco-barbaro, L. B. 1614.

Ne autem exteros tantum in scenam producere videar, iam CUIACIUM quoque, et alios, inter Ictos suum qui profitentur nomen, audiamus. Ac ille quidem *Obs. X. 27. Directarii sunt, qui in aliena coenacula se dirigunt furandi animo, i. e. qui malis artibus scandunt in aliena coenacula, aperiunt fenestras hamis, uncinis, vel qua alia ratione, (vnde etiam apertularii dicuntur, f) atque ita introeunt furandi animo. — Nec absimiles iis sunt parietum aut forium effractores, qui et *ὑπερανοῦνται* dicuntur in glossis, nec non ANT. MATTHAEUS de *Crim. 47. II. p. 174. Directarii, qui in aliena coenacula se dirigunt furandi animo, vnde et diaetarii g) aliquibus dicti, a diaetis, in quas se inferunt. Apertularii etiam et confectores cardinum vocari possunt; nihil enim tam obseratum, occlusum, obsignatum est, quod non aperiant, itaque latenter se inferunt, ut Gygis anulum habere videantur, cuius pala ad palmam conuersa a nullo cernantur, ipsi cernant omnia, et nuper ALOYS. CREMANUS in *iur. crim. h) Tom. II. p. 333. Directarii, qui in aliena coenacula se dirigunt furandi animo, quique apertularii etiam et confectores cardinum vocari possunt, cum plus, quam fures puniendi sint, aut ad tempus in opus publicum dantur, aut relegantur, aut fustibus castigati dimittuntur. Ex his, quae adhuc protulimus, iam licet intelligere, duas maxime interpretum super hac re sententias esse. Alii scilicet, derectarios a dirigere, quatenus pro gradum dirigere, i) se ingerere, ponitur, dictos existimantes, eos clam atque occulte aliena coenacula furandi causa intrasse k), alii contra, quibus alter τὸν dirigere significatus, quo scilicet pro discindere, effringere, ponitur, in animo est, eosdem fures, ut hodie loqui amant, violentos, periculosos, introitum vi manuque quaerentes l), faciunt. Ac illis quidem non modo suffragari videtur VLPIANUS in *l. 7. D. de extr. crim. hoc est, inquit, qui in aliena coenacula se dirigunt furandi animo, sed iuuare eos etiam putatur hoc, quod in l. l. D. de effract. et expil. derectarii ab effractoribus separari atque distingui videntur. Ac hoc quidem, ni fallor, mouit etiam ANT. SCHULTINGIUM, ut in *not. ad Pauli S. R. V. 4. 8. scriberet: Quod ait Car. du Fresne, notari a viris doctis, directarios dici a dirigere, quod et est effringere, id nec rationem habet, nec auctoritatem. Affines quidem derectariis effractores forium vel parietum, sed non plane iidem; ac sine effractura etiam aedes alienae multis modis furandi causa intrantur.*****

Ego

f) Effractarios vocat SENECA *Ep. 68. Vile videtur, quidquid patet; aperta effractarius praeterit. Apertularius apud ISIDORUM pro effractor, qui operta aperit, occurrit.*

g) Ita male nonnulli legunt in *l. 7. D. de extr. crim. Florentiae autem legitur derectarii. Diaetarii erant serui diaetae praepositi, eiusque curam gerentes. Vid. VICAT. *Vocab. iur. h. v.**

h) Quod prod. *Ticini 1779.*

i) Gradum, gressum dirigere est apud APULEIUM *p. 173. 193. et 226. edit. Elmenhorst. 1621.*

k) In eandem sententiam J. C. QUISTORP. in *d. Grundf. d. D. P. R. S. 368. Bey den Römern machte daß crimen derectariatus eine besondere Art von Diebstählen aus, welches diejenigen begingen, die sich, um zu stehlen, in Häuser und Behältnisse eingeschlichen hatten, rel.*

l) Ita loquitur NAZARIUS in *Paneg. cap. 21. inter Panegy. vet. a CHR. CELLARIO Halae 1703. edit. p. 259.*



Ego vero, ut tandem, quid mihi hac de re videatur, edisseram, nihilominus sententiae illorum, qui de furibus periculosis ac violentis hic cogitant, subscribere haud dubito. Rationes si quaeris, accipe sequentes.

Primum scilicet derectarii in *l. 1. D. de effract. et expil.* cum expilatoribus et effractoribus, i. e. furibus atrocioribus, coniunguntur, quod satis, ni fallor, indicio est, eos nequaquam in numerum furum simplicium referendos esse. Deinde non modo *VLPIANUS* in *l. 7. D. de extr. crim.* diserte ait, derectarios plus, quam fures simplices, puniendos, ideoque aut ad tempus in opus publicum dandos, aut fustibus castigandos, aut ad tempus relegandos esse, sed *PAULUS* etiam *S. R. V. 4. 8.* auctor est, in eos extraordinem poena exilii, aut metalli, aut operis publici animaduerti. Jam cedo, quaeso, causam, quare, si derectarii non nisi clam atque occulte aliena coenacula furandi causa intrarent, iidem poenis tam seueris coercendi essent. Magnus mihi eris Apollo, si idoneam hanc in rem rationem mihi suppeditaueris. Ego sane nullam video. Nae autem iniquissimum esset, poenam furti iusta absque causa tantopere exaerbare, hominesque nulla vtentes vi, sed clam furimque alienas aedes intrantes exilii, metalli, operis publici poena coercere? m) Non patitur sane hoc *l. 21. §. 7. D. de furt.* ubi *VLPIANUS*: *Qui furti faciendi causa conclaue intrauit, nondum fur est, quamuis furandi causa intrauit. Quid ergo? qua actione tenebitur? utique iniuriarum, aut de vi accusabitur, si per vim introibit.* Qui quaeso, eodem auctore *VLPIANO* in *l. 7. D. de extr. crim.* derectarii plus, quam fures, puniri possunt, si derectarii sunt, qui non vi, sed clam aedes alienas furandi gratia ingrediuntur? n) Non haec consistunt simul, lateremque lauare mihi videtur, qui contraria haec conciliare animum induxerit. Haud minus huc facit verbum *PAULI l. c. ingruentis*, quod certe in eum, qui alienum coenaculum clam ingreditur, haud conuenit.

Denique veteres glossae τὸ *derectarius* diserte interpretantur per *ὑπερανοικτης*, i. e. ianuarum effractor, ut nihil iam dicam de loco *BASILII M.* ubi derectarii cum latronibus, pessimo sane furum genere, coniunguntur.

Neque vero huic sententiae refragatur *VLPIANUS*, derectarios esse dicens eos, qui furandi animo in aliena coenacula se dirigunt. Primum enim plura suppetunt inepertarum etymologiarum s. originationum a veteribus *legis* propositarum exempla, ceu docuit

m) Bene *CIC. de Off. 1. 24.* *Cauendum est etiam, ne maior poena, quam culpa sit.* Similiter apud *AMM. MARCELLINUM XXVIII. 1.* *ne delictis supplicia sint grandiora,* monetur.

n) In ipsos effractores non vna, sed, pro diuersa eorum conditione, poena animaduertebatur diuersa. *Hi,* inquit *PAULUS* in *l. II. D. ad L. Jul. de vi publ. qui aedes alienas aut villas expilauerint, effregerint, expugnauerint, siquidem in turba cum telo fecerint, capite puniuntur.* Effractores armis haud vsi arbitrarie tantum coercebantur. *l. 1. §. 1. et l. 2. D. de effract.*

docuit AEG. MENAGIUS *Amoen. iur. ciu. cap. 39. vbi pag. 278.* etiam de verbo *dereclarius* eiusque etymologia ex *l. 7. D. de extr. crim.* ita differit, vt facile intelligas, ei VLPiani originationem nequaquam arrisisse. Addit enim: *Dereclarius est, qui non clam, non noctu, sed aperta vi, de die et recta domos inuadit furandi causa. Quare eum alii apertularium et effractularium appellant.* Sed fac, probam esse VLPiani etymologiam, vel sic tamen hic nobis haud poterit opponi, propterea quod is etiam, qui vi alienas aedes ingreditur, in illas se dirigere recte dicitur. Ceterum perinde mihi est, seu quis τὸ dirigere sensu vulgari, seu recondito illo, quo *discindere, effringere* significat, accipere velit, modo in re ipsa, i. e. vi verbi *dereclarius*, mecum conueniat.

Nec me mouet, quod in *l. 1. D. de effract. et expil.* dereclarios et effractores sigillatim memorari videmus. Ait scilicet VLPIANUS: *Simili modo et sacularii et dereclarii erunt puniendi, item effractores.* Frustra sane est, quisquis inde dereclarios (ab effractoribus non nisi nomine diuersos) furibus violentis haud accensendos esse colligat, vt potius ex verbis antecedentibus *qui sunt atrociores fures* contrarium iure colligere mihi posse videat. Manet igitur, τὸ *dereclarius* nequaquam fures simplices, sed atrociores potius notari, adeoque magnopere falli, qui nullum hodie inter dereclarios et fures simplices discrimen esse opinantur. Ego sane cum SALMASIO, VRSINO, TURNEBO, CUIACIO aliisque dereclarios furibus atrocioribus, i. e. violentis, periculosis, adnumerandos, illosque, de ipsorum poena si ex iure communi quaeratur, ex praescripto *Art. 159. CCC.* puniendos censeo. Quod si autem haec quaestio e iure Sax. Elect. decidenda esset, idem repeterem, quod scripsi in *Element. iur. crim. §. 463.* *Aliud fert usus fori nostri, quo, nulla effracturae aut adscensionis habita ratione, vnice ad arma respicitur, quae si animo iis vtendi ad locum delicti fuerint adlata, furtum est qualificatum, capitali supplicio, etsi nulla adscensio aut effractura accesserit, expiandum, cum contra pro simplici habeatur, quando defuerunt arma, quamuis adscendendo vel effringendo perpetratum sit.*



Datum der Entleiherung bitte hier einstempeln!


SLUB DRESDEN



3 1712055

Jus. crim. 130

*Jus crim 130*

